

GLOSSARIA LATINA

IUSSU ACADEMIAE BRITANNICAE EDITA

III

ABSTRUSA, ABOLITA

EDIDERUNT

W.-M. LINDSAY · H.-J. THOMSON

FACOLTÀ DI MAGISTERO
Istituto di Filologia Latina e Medioevale

INV. N. ~~3573~~ NFC 920



1965

GEORG OLMS VERLAGSBUCHHANDLUNG
HILDESHEIM



Reprografischer Nachdruck der Ausgabe Paris 1926
Mit Genehmigung des Verlages Les Belles Lettres, Paris
Printed in Germany
Herstellung: fotokop, Reprografischer Betrieb GmbH, Darmstadt
Best. Nr. 5100863

PRAEFATIO

Iam in praefatione vol. II dixi socios meos in hoc vasto opere plenissimam mihi licentiam concessisse amplificandi ea quae scripsissent, refingendi, decurtandi ; teque, lector, iussi, siqua vitia in his paginis detegerentur, mihi quoque ipsi meam vitiorum partem imputare. Quae verba hic iterare necesse habeo ; tam longe Abstrusa glossarium, quale hic editur, ab ea forma differt quam mihi Thomson meus edendam commendavit.

Quoniam haec duo glossaria, Abstrusa et Abolita, velut thesauri erant unde materiam hauserunt modo non omnes qui postea extiterunt glossariorum conditores, in votis erat ut uniuscuiusque glossae fontem tibi indicarem. Quod quidem fortasse efficere potuissemus si in codicibus qui nobis praesto sunt pristina glossarum dispositio (velut in Arma, vol. II), pristina glossarum forma satis servatae essent. Sed scribis, vel potius scribarum magistris, semper in mente erat Isidori (Etym. 1, 30, 1) dictum, singulas interpretationes debere vocem illam de qua requiratur uno et singulari verbo designare. Unde factum est ut novi quique glossarii transcriptores pristinam glossarum formam magis magisque decurtarent ; porro, legentium commodo obsecuti accuratorem alphabeticam ordinationem postulantium, magis magisque pristinam glossarum dispositionem everterent. Denique qui se Abstrusa glossario occupabant, ne lemmatibus quidem temperantes, verbum quodque in tertia persona singulari indicativi praesentis, nomen quodque in casu nominativo singulari exhibebant ; quid multa ? pristinam glossarum et formam et dispositionem ita obtegebant ut glossarum Abstrusa fontes raro indicare audeamus.

Attamen, quamquam noluimus ubique viae tibi indicium ponere, cave credas omnia esse invia. Sat habuimus demonstrare glossas Abstrusa maximam partem ex scholiis Vergilianis provenisse, aliquot etiam ex Sacra Scriptura. Tu igitur, si demonstratio nostra placuit, ex cognitis incognita nosce, et nobiscum v. g. AB 1 (Abstrusa : abscondita) ad Aen. 6, 7 (*abstrusa in venis silicis*), ceteras eiusmodi glossas Lexico Vergiliano fretus ad eum versum qui tibi placebit revoca, AB 2 (Abdicat : a se alienat vel respuit) ad scholium aliquod Vergilianum. In scholiis enim Vergilianis infinita copia erat ; et credimus — teque credere volumus — ad hunc fontem plerasque Abstrusa glossas esse revocandas. Quodsi credere noles, non male feremus ; nam fatemur potuisse conditorem priore, nunc deperdito glossario aliquatenus uti : unum illud nullo modo, nulla ratione feremus, si Ritschelianorum viam secutus sic tecum disputabis : Hoc

lemma vox est Catoniana ; glossarium igitur Catonianum in manibus erat conditoris Abtrusa glossarii : Illud lemma vox est Luciliana ; glossarium igitur Lucilianum antiquitus traditum praesto ei fuit : Haec vox in Sallustii Historiis apparet ; evolverat igitur ipse glossarii conditor Historias Sallustii, inde hanc vocem (neque praeter hanc voces alias) tamquam lemma in glossario suo posuerat addideratque eam interpretationem quam ipse excogitaverat. Quasi vero glossarii Abtrusa conditori tanta librorum copia praesto esse posset, tanta doctrinae antiquitus traditae ! Quasi vero tam doctus vir esset, tam laboriosus ut innumeros scriptores antiquos huius causa glossarii evolveret eodem modo quo apes, latum pervolantes campum, ex mille floribus mille particulas mellis extrahunt ! Immo tu lege ea quae alibi scripti (St. Andrews University Publications XIII praef., p. vii ; English Society Publications VIII, p. 1 ; Bulletin Ducange I, p. 16) et discite quomodo et quam temere glossaria facta sint ; porro tu fontibus certis, dummodo ad eos glossae glossarii omnes satis apte referri possint, noli novos sine causa adicere, memor sapientis Gulielmi qui dixit : « Entia non sunt multiplicanda praeter necessitatem. »

Disce etiam glossas solere esse fertiles, et ex una glossa posse alias oriri. Noli igitur postulare pro unaquaque glossa suum proprium fontem. Velut, si incidis in glossas duas, *Serit* : *seminat*, *Sevit* : *seminavit*, sic tecum disputato : Potuit sane glossarii conditor in versu Vergiliano praesentis temporis formam invenire, in altero versu perfecti ; idem tamen potuit nonnisi *serit* (-is, -imus, etc.) invenire et ipse ea mente novam glossam *Sevit* : *seminavit* addere ut sui discipuli intellegerent verbi coniugationem. Semper enim illud in memoria tenendum est, glossaria a monasteriorum praeceptoribus in usum discipulorum esse condita ; eos praeceptores ipsos et postea eos qui librariis praeerant multa refinxisse, multa in margine aut explicandi causa aut emendandi addidisse ; multas igitur glossas revera advenas esse et aut conditoribus ipsis aut subsequentibus correctoribus esse imputandas. Quae si tecum reputabis, concedes nos, si novem partes glossarii ad fontes proprios-revocavimus, de tribus quoque quae restant partibus posse nostro iure esse securos, non minus quam arborum caesores qui, silvam centum arborum aggressi, postquam centum truncos reportaverunt, securi esse solent de rubis fruticibusque qui circa arborum pedes accreverunt.

Denique, quoniam speramus philologos hac editione adiutos nova reportaturos esse tropaea, et ex Abtrusa glossario aliquatenus Donatianum in Vergilii poemata commentum, ex Abolita glossario aliquatenus eas partes Festi de Significatu Verborum libri quae iam desiderantur esse restitutos, permitte mihi ut exponam quid de tota re sentiam. Sic enim mihi fingo glossaria duo esse orta.

Exstitisse non post saeculum septimum Abtrusa credo, siquidem id glossarium iam scriptori hymni qui vocatur Altus et Aethico Histro praesto erat (Class. Quart. XVII, p. 198) et Aldhelmi tempore (cum Abolita Glossario) increbuerat (Engl. Phil. Soc. Publ. VIII). Isidoro nullam glossam refert acceptam, nam raras quae Isidorianae sunt, vel potius videntur esse, aut adiecit postea nescioquis aut revera ex eodem fonte (scholiis Vergilianis Donati, puta)

atque Isidorus conditor ipse sumpsit. Quomodo igitur extitit glossarium? Sic mihi conicio, sic — dicent critici — somnior. Quemadmodum alii aliquot magistri Etymologias Isidori tamquam vastum glossarum thesaurum adhibuerunt, ita noster Scholia Vergiliana (a Servio aliena) adiit, thesaurum nihilo minus copiosum. Brevitati non nimis studuit, quippe qui non interpretationes tantum excerpserit, sed eis etiam scriptorum locos a scholiasta (Donato, puta) ad interpretationem illustrandam citatos adiecerit. Earum satis redundantium glossarum plurimas nobis conservavit ille glossariorum coadunator quem Ansileubum vocare solemus; quamquam ne Ansileubus quidem dubitavit lacerare, comminuere, in tres vel quattuor glossulas unam glossam discindere, fragmenta discissa per longe diversas ingentis voluminis partes dissipare (cf. vol. I, praef.). Sed pristina ea satis ampla glossarum Abstrusa forma cui Ansileubus aliquatenus parcebat mox eandem fortunam est experta quam ipse Ansileubi in multis qui extant codicibus liber, qui non plenum Ansileubi glossarium sed epitomam eius exhibent, plerumque ita confectam ut, citationibus praetermissis, nonnisi interpretationes, et illae quidem saepe decurtatae et refictae appareant (cf. Palae. Lat. III, p. 23). Atqui hic vel ille codex in hac vel illa glossa vestigium amplioris formae casu felice conservavit; neque minus felice casu *A* et *B* glossarii Abstrusa codices pleniorum eius glossam identidem exhibent, verbi gratia

(IN 254) *Intrio* : infundo, vel<ut> (Ter. Phorm. 318) «tute <hoc> intristi»>. (*A*).

Intrio : infundo. (*B*).

(Illud *intrio* ne Donato imputaveris sed conditori glossarii. Donatus, puto, scripserat — haud scio an ad Geo. I, 46 — *Intritum* : infusum, et *intristi* : infudisti, etc. Nam Ansileubus (1) exhibet duas glossulas : *Intrio* : *infundo*, *Inritum* : *infusum*.)

In decurtandis interpretationibus saepe *A* non tam longe quam *B* processit :

(FA 41) *Flamonium* : honor pontificalis aput Gentiles, quo qui functus fuerit apicem optinet dignitatis et dicitur flaminis. (*A*, *Ansil*.)

Flamonium : honor pontificalis aput Gentiles. (*B*).

(Illud *aput Gentiles* documento est conditorem Abstrusa glossarii magistrum fuisse monasterii.)

(AM 14) *Amaracus* : genus floris, unde et amaracinum unguentum fit. (*Ansil*.)

Amaracus : genus floris. (*AB*).

(Eandem decurtatam formam exhibent nostri duo codices.)

(1) Ansileubo praesto fuisse et codicem Abstrusa pleni et codicem Abstrusa epitomati constat. Credo eum sic duos testes adhibuisse ut breviori testimonio non totum alterum sed tantummodo partem desideratam adiecerit. Unde fit ut ex glossa *Ianitor* : *ostiarius* vel *custos ianuae* (*A*), pro qua erat in epitoma nonnisi *Ianitor* : *ostiarius* (*B*), hae duae apud Ansileubum glossulae emanaverint, *Ianitor* : *ostiarius*, *Ianitor* : *custos ianuae*. »

(IA 8) Ianiculum : mons est in urbe Roma, unde [Ianum vel] Ianuar-
rius mensis nomen accepit. (*A*, *Ansil.*)

Ianiculum : mons est in urbe Roma. (*B*, ut vid.)

(Scriba archetypi Abstrusa scripserat *Ianuarius* per compendium *Ianu*. Cor-
rector plenam vocem supra lineam vel in margine adposuerat.)

(FE 9) Foenix : avis regia, unde foenicium, id est miniatum, nomen
accepit. (*B*, *Ansil.*)

Foenix : avis regia. (*A*).

(Rarum decurtatae formae in *A*, plenae in *B* exemplum.)

Ecce aliquot exempla fertilium glossarum :

(CA 115) Calathum : canistrum, id est cartallum.

(CA 118) Cartallum : canistrum.

(Si solam hanc haberemus, non illam, dubitaremus fontem in scholio Vergi-
liano quaerere.)

(LU 1) Lubricus : labilis, lenis, nitidus.

(LU 3) Lubricus : nitidus.

(LU 12) Lubricus : labilis vel lenis.

(LA 14) Labilis : lubricus.

(Ecce tergemina prolem !)

(CA 119) Cancer : forceps aut ulcus.

(FO 16) Forceps : ulcus aut cancer. (!)

(Hanc si conareris vel ad fontem referre vel etiam explicare, haereres, nisi
illa adesset.)

(UL 7-8) Ultimus : novissimus. Ulterius : amplius. (*Ansil.*)

Ulterius : novissimus vel amplius. (*A*)

Ulterius : novissimus. (*B*)

(Conflatio duarum glossarum archetypo Epitomae imputanda est.)

(FU 5) Fulvum : flavum aut rubeum.

(FA 45) Flavum : rubeum.

(Male intellecta erat vera glossa *Fulvum : aut flavum aut rubeum.*)

(GE 10) Gentis honos : <stemma> generis nobilitas.

(ST 8) Stemma : generis nobilitas.

(Quis auderet alteram ad Aen. 4, 4 revocare, nisi viam prima monstraret ?)

(CU 34) Cudere : excludere, percutere, cudendo proferre vel incude
facere.

(KA 9) Kadere : caedendo proferre.

(Semidoctus quidam, seu conditor ipse glossarii seu subsequente aevo correc-
tor, quo derivativam glossam longius a principali amoveret, *ka-* pro *ca-* scripsit,
neque intellexit verum lemma Cudere esse, non Cadere. Noli autem putare
eum Kudere scripsisse, nam littera K nonnisi ante vocalem A adhiberi solet.)

Quid ? satisne lucide, si breviter, exposui quid de Abstrusa sentiam ? Audi
nunc de Abolita ; sed prius unum hoc exemplum accipe discissae et disiectae
Abstrusa glossae, et ex uno disce omnia :

(EQ 3-4) Equitatus : numerus equitum. Eques et equester : unum est.

(PE 8 ; 11) Peditatus : numerus peditum. Pedes et pedester : unum est.

Quae integra, non disiecta, steterunt in codice Abstrusa illo quem conditor glossarii Corp. adhibuit.

(Corp. A 332-3) [A]eques et equester unum sunt. [A]equitatus et peditatus : numerus equitum et peditum.

Infra dicam in praefatione mea altera de codice (A) iam memorato Abstrusa glossarii cuius in margines infertae sunt tot Abolita glossae quot locum ibi invenire potuerunt, et de Bavarica coadunatione (*Gloss. Monac.*) glossariorum cuius auxilio codicem Abolita glossarii proprium, nunc deperditum, quasi per transennam aspicere possumus. Hic praebebo exempla Festinarum Abolita glossarum, ut discas Festum nullo modo exscriptum esse in Abolita. Festus scripserat.

(160, 3) Nequinont pro nequeunt, ut solinunt ferinunt pro solent et feriunt, dicebant antiqui. Livius in Odissia
« partim errant, nequunt Graeciam redire ».

Quae conditor Abolita glossarii excerpserat, ea sunt in duas glossas discissa in A.

(NE 22) Nequunt : pro nequeunt, ut <solinunt pro> solent.

« Nequi<n>unt. Graeciam redire. »

(Quia duae partes ab eisdem litteris NE incipiunt, vicinae manebant.)

Paulus Festi epitomator haec habet.

(16, 23) Ausoniam appellavit Auson, Ulixi et Calypsus filius, eam primum partem Italiae, etc... deinde paulatim tota quoque Italia quae Appennino finitur dicta est Ausonia ab eodem duce, etc.

Ecce iterum duas glossas in A.

(AU 1) Ausonia Italia dicta.

(AB 15) Ab Ausone, Ulixis et Calypsus filio.

(Quia duae a diversis litteris incipiunt, subsequens corrector, qui strictiorem alphabeticam ordinationem imposuit, inclusit illam in capitulo AU, hanc in capitulo AB.)

Festus scripserat.

(256, 4) Profanum : quod non est sacrum. Livius... Plautus « sacrum an profanum habeas parvi penditur ».

Quae glossarii conditor excerpserat, discissa erant a librario Hispano, Hispanicam Latinitatem adhibente.

<Provanum : non sacrum.>

« Provanum aves, parvi pendetur. »

Quorum membrum prius ex A excidit.

(PRO 92) Provanum : aves partui perdetur.

(Saltem haec sunt in uno codice ex A descripto, nam in recentiore evanuit tota glossa.)

Festus scripserat.

(258, 20) Plutei dicebantur crates corio crudo intentae quae solebant opponi militibus opus facientibus et appellabantur militares. Nunc etiam tabulae quibus quid praesepitur eodem nomine dicuntur.

Quae excerpſit glossarii conditor ſatis ſervavit A.

(PL 11) Plutei : proprie crates corio contectae quae in opere faciendo
hostibus obiciuntur.

(Illud *contectae* ſcripſitne conditor pro *intentae*, ut facilius intellectu ?)

Paulus habet

(38, 18) Carissam 'apud Lucilium vafrum significat.

Haec A.

(CA 17) Carissa lena est dupla.

(Sed ex glossario Abba, quod hanc glossam ab Abolita mutuatum est, discimus conditorem Abolita glossarii non *dupla* sed *vafra* scripsisse.)

Festus Verrio oblocutus erat.

(222, 6) Orcum quem dicimus ait Verrius ab antiquis dictum Urgum..

Sed nihil affert exemplorum ut ita esse credamus, nisi quod
is deus nos maxime urgeat.

Obloquitur Paganis conditor Abolita.

(OR 32) Orcus secundum stultitiam Gentilium deus inferni dictus,
ab urgendo mortem.

(Si recte haec reflecta verba conditori ascribo.)

Festus scripserat

(226, 4) Petulantes, et petulci etiam, appellantur qui protervo impetu
et crebro petunt laedendi alterius gratia. Virgilius in IV
Georg. « neque oves haedique petulci floribus insultent »...
Et Afranius in Ida « Nostrum in conventum aut consessum
ludum lapsumque petulcum ». Interdum pro veloce usu
videntur antiqui, ut hoc versu intelligi potest « Exilivit
quasi petulcus quidam. pedibus convibravit ».

Quae excerpſit glossarii conditor, ea sic discissa et lacerata exhibet A.

(PE 52) Peticus (*immo* Petulcus) : qui amat petere aliquem.

(PE 53) Petilius (*immo* Petulans) : qui supra.

(PE 54) Petunt : adpetunt, invadunt.

(PE 56) Petulcum : lascivum.

(Si recte refero tertiam glossulam ad interpretationem supra illud Festi *petunt*
scriptam, et quartam ad interpretationem supra illud Afranii *petulcum* scrip-
tam.)

Quibus ex exemplis satis apparet reflecta esse in usum monachorum studiosorum verba Festi, et codicem Festi a conditore Abolita glossarii adhibitum interpretationes inter lineas (vel in margine) appositae habuisse, quae a conditoris librariis in glossarium admissae sunt. Sicubi igitur Festus nonnisi etymologiam vocis praebuerat, suspicor codicis glossatorem saepè interpretationem eius vocis adiecisse. Sed hoc valde interest scire : Utrum ipse conditor verba Festi excerpſit, an excerpta in marginibus codicis a se adhibiti invenit ? Tu, lector, responde ; nam quid respondeam non habeo.

Vides, lector benevole, nobis, dum conamur glossas Abstrusa et Abolita ad fontes suos revocare, opus tam periculosae plenum aleae incidisse ut tu, dum legis, non minus cautus debeas esse quam benevolus. Nobis enim, fatemur,

quae placuerat prius sententia, ea saepe est nunc abiecta. Quin etiam glossas quas prius in hoc glossario incluseramus nunc illi vindicamus, ita ut glossarum prior numeratio nonnumquam sit turbata. Melius tamen visum est priorem numerationem obtinere, nequi in adnotationibus aliubi te ad id capitulum referentibus errores subsisterent. Hinc illud tam saepe scriptum « in numerando peccavimus ». Age, ignosce peccatoribus.

W.-M. LINDSAY.

SIGLA

v cod. Vat. lat. 3321.

a cod. Casin. 439.

b cod. Vat. lat. 6018.

c cod. Par. lat. 2341.

d cod. Par. lat. 7961 (qui continet nonnisi BR 2-PRO 37).

A lectio codicibus *va* exhibita aut indicata.

B lectio codicibus *cd* exhibita aut indicata.

C lectio glossariorum quae ex Abstrusa materiam hauserunt.

A marg. lectio codicum *va* inter glossas Abolita.

Ansil. Liber Glossarum seu Glossarium Ansileubi (vide vol. I).

Gloss. Monac. coadunatio Bavarica glossariorum plurimorum cuius fragmenta eruta sunt ex involucris codicum Monacensium (cf. Goetz C. G. L. I, p. 302; apographum suum Goetz mihi transtulit).

Palae Lat. Lindsay, Palaeographia Latina.

Corp. Glossarium Latino-Anglum collegii Corporis Christi Cantabrig., ed Lindsay.

Abba glossarium Sangallense.

Arma vide vol. II.

Ancient Lore St Andrews University Publications XIII, ed. Lindsay et Thomson.

Gloss. Verg. glossarium Vergilianum (vel potius glossae ex Vergilii codice collectae) (ed. Goetz in C. G. L. IV, pp. 427-470).

Gloss. Bed.-Plac. glossarium ex Beda, Placido, etc., haustum (Vat. lat. 1469, ff. 162-223).

ABSTRUSA

EDIDIT

H.-J. THOMSON

PRAEFATIO

Hoc glossarium cum ante paucos annos tractarem (1) glossas Vergilianas permultas ei inesse ostendi easque cum Servi et Servi Danielis quem vocant commentariis et cum Adamnani quae fertur scholiorum sylloge artiore quodam vinculo coniunctas ; quoniam autem hi omnes magna ex parte Donatum referre viderentur plenior Donati scientiam e glossario sperari posse, cum praesertim Adamnani scholia non ultra Bucolica et Georgica haberemus, glossae autem ad omnia Vergili opera spectarent : porro inter glossarium Abstrusa et alia quaedam glossaria, praecipue magnum illum Librum Glossarum sive Ansileubi Glossarium (*Ansil.*), eam intercedere rationem ut in eis plenior et vetustior glossarum formam non raro inveniremus, multae autem quae a nostro evanissent glossae in eis exstarent atque inde restituendae essent. Hoc igitur opus institui quo totum glossarium quam proxime pristinam formam ederem ; sed quod et alia glossaria iam eduntur et ipse Liber Glossarum typis ita imprimitur ut eiusmodi glossas facile agnoscas, consilium praecidi, cum satis esse videretur glossas quas in C. G. L. IV, pp. 3-198 habes ordinare, hic illic emendare, ad fontes quantum fieri posset referre ibique in primis Philargyri et Donati vestigia indagare.

De singulis glossari codicibus satis habes apud Goetziū (C. G. L. IV, praef.), nisi hoc adiciendum est codicem Vaticanum lat. 3321 (*v*) viros rei palaeographicae peritissimos saeculi octavi non septimi esse arbitrari. ex his quinque codicibus duo glossarium nostrum glossis Abolita contaminatum habent, eundem Vaticanum (*v*) dico et Casinensem 439 (*a*) ; duo merum exhibent, Parisienses 2341 (*c*) et 7691 (*d*) ; quintus partim huius partim illius est generis, Vaticanus 6018 (*b*), qui cum glossas multis locis licentius mutatas et interpolatas habeat fere neglegendus est, quamquam est ubi veram lectionem solus exhibeat, v. g. AE 15. quod ad ceteros attinet ea ratione egi quam si quis textus historiam accurate investigatam requirat vereor ne non comprobet ; quamquam enim ea quam dixi codicum distinctio per se fortuita est, tamen, quoniam in hac materia non nimia severitas est postulanda, brevitatis causa quae lectiones in codicibus contaminatis aut exhibentur aut indicantur *A* littera, quae in alteris *B* notavi ; neque curavi ut de codicum lacunis monerem. sin-

(1) *Journal of Philology*, 35, 257, ; *Ancient Lore in Medieval Latin Glossaries* (Lond., Milford), p. 46.

gula si desideras apud Goetziū (C. G. L. IV) praesto sunt. Habet hic illic *A* singulas glossas inter glossas Abstrusa scriptas quae in *B* non leguntur : tales utrum nostrae sint an ad glossas Abolita pertineant dubitandum est ; neve te fugiat testimonium *B* in initio et in fine glossari in uno codice (*c*) niti.

Restant duo testes a quibus verum quaeramus. primum enim illud in codicibus Vat. 3321 (*v*) et Cas. 439 (*a*) vix quemquam fugerit multas glossae quae nostri sunt glossari in eis partibus scriptas esse quae e glossario Abolita tractae sunt, multas etiam utroque esse relatas. omnibus quidem in codicibus eiusdem glossae duas formas, alteram corruptam emendatam alteram, non numquam invenimus : hoc Vaticani et Casinensis proprium est ut multo plures eiusmodi habeant et emendatas fere inter glossas Abolita referant, non paucas ibidem exhibeant quae suo loco omnino desunt ; quae res ita potest explicari si formas emendatas et glossas ordine praetermissas in codicis archetypi margine stetisse existimes. sicubi igitur vera lectio in eis partibus codicum Vat. et Cas. invenitur, id signo *A marg.* indicavi. deinde quod antea dixi huius glossari exemplarium vetustiorum et pleniorum vestigia in aliis glossariis, Amploniana dico et Affatim cum quibusdam aliis et praeter cetera Librum Glossarum (*Ansil.*), exstare, id satis iam certis documentis probatum est : quorum glossariorum quae vel in uno vel in pluribus leguntur *C* littera agnosces ; non quod unum aliquod nostri exemplar omnibus commune fuerit, sed in Goetzi Thesauro Glossarum Emendatarum (C. G. L. VI-VII) singula si velis reperire in promptu est ; ibi autem si quid deest id Libri Glossarum (*Ansil.*) esse scito, quoniam ex eo excerpta modo edidit Goetzius, ego pleno usus sum libro. varias lectiones ne sic quidem nisi potiores adnotavi ; glossas ita plerumque edidi ut in Thesauro Glossarum sunt emendatae, nisi quod aliter hic illic legendum existimavi, multis autem in locis pleniorē formam restitui.

Venio iam ad glossarum ordinem, in quo cum non inter se modo multum discordent codices sed ne in singulis quidem codicibus eadem ratio ad calcem servetur, quem potissimum sequamur decernendum est. namque pristina glossari forma nimirum ea fuit ut lemmata secundum primam cuiusque litteram digererentur ; mox in describendo duarum vel, ut multis in locis videmus, trium litterarum ratio habebatur, velut glossa IN 161 (Inopinatus : quod supra), quamquam ad glossam 163 (Improvidus) spectat, in INO seriem amota est. huc spectant illa quoque quae ad RI 2, 5, 8, 10 adnotata invenies Rig, Rin, Rim, Rit, quae quoniam codici Par. 2341 (*c*) cum Libro Glossarum (*Ansil.*) communia sunt in exemplari fuisse manifestum est. sed librariorum suam quemque libidinem secutos partium seriem aliam alium effecisse apparet. velut lemmata a litteris PLE incipientia alio in codice sub PE, in alio sub PL leguntur, ab S incipientia cod. Par. 2341 (*c*) in series SA, SE, SI, SO, SV, SCA. SCE, etc., SPA, SPE, etc., STA, STE, etc., digesta habet. quae cum ita sint codicis Vaticani 3321 (*v*) ordinem, ut qui in universum proximus sit a pristino, plerumque sequi visum est ; nam in glossariis quoniam verum est Heracliteum illud πάντα βέλ id fere optimum est quod vetustissimum. atque e glossis TRO 2 et 2a apparet in vetustioribus exemplis lemmata a TRO et TRI incipientia utraque sub TR stetisse, neque ut aliquibus in codicibus nunc

habemus TRO sub TO, TRI sub TI ; Vaticani autem in exemplari Pridem (PRI 15) sub PRI ultimum locum, Prunus (16) in PRV serie primum habuit, quae lemmata in codice Par. 2341 eodem ordine sub PV scripta sunt. tamen Parisiensis ordinem in F et G malui cum ex FI 18 et 24, ubi frivoli et ficti facta est confusio, verba a litteris FRI incipientia non ut in Vaticano sed in FI seriem relata esse videantur ; quod eo magis credendum est quod haud pauca a FR incipientia cod. Vat. neglexit, a FL fere tot inter glossas Abolita relatas habet, id est ex archetypi margine tractas. item si cod. Vat. in C. G. L. 81, 8-9 et 83, 4-5 spectabis, verba a GLA incipientia a GA serie in exemplari secreta non esse videbuntur.

Sequitur ut de glossari fontibus quaeramus, qui quot' fuerint haud facile decernas : ceterum permultis glossis scholia Vergiliana subesse pro certo habeatur. qua de re pauca hic contra Wessnerum dicenda sunt, qui nuper de glossis Vergilianis fusius disputavit (C. G. L. I, p. 369), rem tamen ut opinor non penitus perspectam habet. ei quae de Servio, Servio Danielis, Scholiis Bernensibus scripsi non probavi ; quamquam in hac re ipse sibi vix constat, nam cum dixerit (p. 371) inter haec scholia Vergiliana et glossas Abstrusam necessitudinem quandam intercedere non posse negari, paulo post (p. 373) num ex consensu glossarum simplicium, ut ait, atque trivialium multum effici possit magnopere dubitat. « haud raro enim » inquit « aegre dicas quomodo verba poetae aliter explicari potuerint. » quod ad Scholia Bernensia attinet, id quidem minoris est momenti, quamquam glossas Baccare (BA 14), Cana mala (CA 113), Corylos (CO 208) paene cum ipsis Scholiorum Bernensium verbis forte congruere vix dicas, neque ullius negoti fuit Vergili verba aliter explicare. de Servio et Servio Danielis si quis hunc libellum perlegerit vix cum Wessnero dubitabit ; nam inter glossas, simplices illas quidem sed haud omnes triviales, et commentarios vetustos eam consensionem non raro inveniet quae nisi artiore necessitudine explicari non possit ; unde alias quoque glossas quibus in commentariis ut eos nunc habemus nihil respondet ad veteres interpretes referendas iure contendet. quod autem huius glossari glossas Vergilianas plerumque brevissimas atque simplicissimas esse Wessnerus dicit (p. 382), illa eum fugerunt, primum in glossariis conficiendis et describendis (excepto Libro Glossarum, qui sui generis est) maximum fuisse brevitatis studium ; deinde scholia ut in glossarum brevium formam redigerentur in partes fuisse dividenda, unde fit ut glossa Vergiliana non semper primo aspectu agnoscatur et ut glossae loco quam longissime seiunctae fraterno vinculo coniunctae esse reperiantur. quarum rerum vel unum sufficit exemplum, nam glossae FE 31 (Freudit : stridet dentibus) et 32 (Fresa : fracta, divisa) quin ex uno scholio tractae sint quis dubitet ? at utraque simplicissima est et brevissima, et illa quidem vel trivialis dici potest ; haec tamen neque cuiusvis est monachi et originem cum Servi Dan. ad Aen. 8, 230 scholio communem prae se fert. iam de verbis quae in Vergili versibus non legantur multa commentatores veteres disseruisse quis nescit ? quid quod ad Geo. 1, 165 Servius supellectilem « vasa de vimine... ut qualos, corbes et cetera » interpretatus de *corbis* genere feminino cum exemplo Tulliano loqui pergit ? quod ad Vergili interpretationem minime

opus erat. sed ut minora praetermittam, cum Ἀπειὸν πάγον, verbi causa, ad Geo. 1, 18, nebrides ad Geo. 4, 341, calones ad Aen. 1, 39, hostire ad Aen. 2, 156, carinare ad Aen. 8, 361 explicata inveniamus, glossas PA 8, NE 2, 3, KA 12, HO 13 ad scholia his similia referre non dubitamus; porro alias, ut Casnar (KA 18), Percatapsat (PE 58), quae verba in commentariis quos habemus non leguntur, ad eundem fontem reducimus.

Ea sane Wessneri iudicio omni carent fundamento. sic enim contendit (p. 358), etsi apud Servium Danielis ad Aen. 8, 361 Enni versus ille « contra carinantes verba atque obscena profatus » laudetur, non Enni *carinantes* explicari sed *carinare*, cum scripserit scholiasta « carinare est obtrectare ». sed minimum talia valere debent, nam apud Servium Danielis ipsa Donati scholia plena exstare quis credit? quae retractata esse plane scimus (1). neque omnes glossas ipsam Donati vocem referre dixerim praeter rem ex eo sumptam. quod autem, ut ait idem, apud Servium Danielis ad Aen. 2, 156 formae *hostil* nec vola est nec vestigium, id quidem omnino nihil refert; nam quod scholiasta hostiam dictam esse scribit « quod dii per illam hostiantur, id est aequi et propitii reddantur, unde hostimentum aequationem », neque id sequitur Donatum eadem verba scripsisse, et videndum est illud de quo plura suo loco dicam, in glossario conficiendo plurima verba, partim brevitatis partim aequalitatis causa, ad hanc formam redacta esse.

Illud quoque animadvertendum est, cum a commentatoribus Vergilium interpretantibus aliorum scriptorum versus persaepe laudati sint et aliquando explicati, ex eis quoque glossas trahi potuisse: quod genus Wessnerus in Libro Glossarum agnoscit, nostro in glossario nusquam videtur suspicatus esse. at si ea quae de brevitatis studio dixi memoria tenes, cur virum doctum fefellerint facile intelleges. unam hic proferam glossam IN 202 (Inrequieta: semper vigilans), quam cum certo in ordine glossarum Vergilianarum (199-203) inveniat, ex Ovidi versu Metam. 13, 730 « Scylla latus dextrum, laevum inrequieta Charybdis infestant » ad Aen. 3, 420 « dextrum Scylla latus, laevum implacata Charybdis obsidet » laudato venisse luce clarius est. itaque de glossa CE 66 (Caerula) vir doctus ne dubitet, qui « quid ad Vergilium » inquit « glossa Caerula, quam non ad Geo. 1, 236 sed ad nesciocuius auctoris verba *caerula nox* pertinere ipsa testis est? » immo nesciocuius auctoris verba ad Geo. 1, 236 (vel alium aliquem Vergili versum) laudata. alia huiusmodi in adnotatis indicavi, quae hic praetereo. hoc monendum videtur tres poetas Lucanum, Statium, Iuvenalem non ante Servium laudatos esse Wessnerum non suo iure contendere. Donatus, inquit, quantum scimus Statium non curavit (C. G. L. I, p. 378. Cf. Teuffel, § 431, 3). at id prorsus non scit, neque scire potest; neque est cur eos locos ubi illi poetae a Servio Dan. laudantur suspectos habeat, quoniam qua ratione egerit qui Servi commentario alterum illum inseruit satis iam intellegimus.

Denique haud scio an erret Goetzius qui Gnuegio glossas Terentianas glos-

(1) Vide *Ancient Lore*, p. 56 sq.

sario nostro inesse concedit, et quod glossae aliquae in utraque parte codicum contaminatorum exstant id ita explicare conatur ut simile esse utriusque glossarii fundamentum contendat, scilicet ex glossis Terentianis et Vergilianis compositum (C. G. L. I, p. 123). nam certam glossarum Terentianarum seriem nullam invenies ; et quoniam non dubium est quin Donatus, dum Vergilium interpretatur, Terentium saepissime laudaverit, inde venisse eas glossas, siquae ad Terentium spectare possunt, facilius suspiceris. quod non ideo labefactatur quia non semper eiusmodi glossa ad unum aliquem Vergili versum manifeste est referenda ; nam cur hic vel illic Terenti versus laudandus esset sexcentae esse poterant rationes ; ut si fingamus glossam ad verbum *militatum* adscriptam in Terenti Adelph. versu 385 qui apud Servium ad Aen. 2, 87 laudatur et inde in glossarium sumptam, ipsa glossa nobis, nisi Servium habeamus, a Vergili loco alienissima videatur.

Plurimas igitur glossas ad scholia Vergiliana ita referre non dubitavi ut scholii formam restituere hic illic auderem, saepius ut satis esse ducerem restituendi materiam praebere. hoc erat cur verba Festi, Noni, Isidori, versus Plauti, Terenti, aliorum ad glossas Vergilianas saepe adnotarem, illa quod Festus Noniusque talem servant doctrinam qualis Donato praesto fuit, Donatum autem inter fontes Isidori fuisse constat, hos quia scriptorum loci in scholiis Vergilianis saepe tractabantur quamvis rem a Vergilio alienam esse diceres.

Aliud quoque velim animadvertas, nam si librum perspexeris illud certe in lemmatibus te non fugerit verborum tertias plerumque positiones numeri singularis et praesentis saepissime temporis exhiberi, velut intra paucas glossas Abdicat, Absistit, Abit, Abstinet, Abutitur, Abominat, Abolet, Abnuvit, Abrogatur, Abiurat, Abluit, Abhorret ; quae res cum fortuita dici vix possit sic statuendum est, ut in lexicis conficiendis primam nunc monstrare positionem moris est ita eis temporibus glossario tertiam maxime idoneam visam esse ; quamquam ne hic quidem certae ubique rationi serviebatur. quoties igitur eius modi glossam ad aliquem Vergili versum relatum videris neque apud Vergilium eandem verbi formam legeris, offensus ne sis.

Nolim quidem glossas Vergilianas omnes usque ad Donatum redire putes ; nam ut triviales praetermittam (quamquam ne apud Servium quidem desunt quae trivialia videantur), non potuit Donatus Sulpicium Severum laudare (v. TV 15). sed si quae veterum doctrinam exhibet, ibi fides haud incerta sit. neve illa sis oblitus, primum Donatum cum, ut ipse dicit, grammatico rudi ac nuper exorto viam monstrare ac manum porrigere vellet, non modo Vergilium interpretatum esse sed multa de rebus grammaticis in commentarium suum condidisse quae posteriores depromerent ; deinde ab ipso Donato esse aliquae inepte et sine iudicio scripta . velim autem legas quae priore in opusculo de tota re scripsi (*Ancient Lore*, pp. 56 sq.).

Ceterum glossis quam plurimis Vergiliano commentario addictis restant quas aliunde quaeramus necesse est. quarum fontes haud facile agnosci possunt. de quo id te ne fugiat in glossario non ita fuisse ut inscriptoris opere describendo ; hoc enim integrum summa cura servandum fuisse, illi contra, cum ad usum confectum esset, ne quid adderetur neve detraheretur nullam religionem prohi-

buisse ; quin etiam singulis glossis undecumque tractis et operi insertis utilius fieri potuisse (cf. Class. Quart. 15, 38-40). nullus est nostri codex quin aliquas sibi proprias habeat, neque dubito quin statim a principio glossae ex hoc vel illo fonte tractae glossario vel singulae vel cum paucis hoc modo adiectae sint. Eas advenas appello, non aborigines.

De uno quidem fonte nemo dubitabit, Biblia Sacra dico : illuc enim glossas LE 27 (Levigabis), MV 23 (Mundum muliebrem), NE 25 (Neomenia), NE 24 (Neophytus), PA 21 (Balteum, sc. tecti), CA 106 (Coenomyia) — quarum duae ultimae prae-Hieronymicam versionem prae se ferunt, — alias eiusmodi securus referas. et quoniam ea versio Graecas voces ex LXX sumptas habuisse multis in locis videtur (1), eo Graeca lemmata reduxi siquando cum septuaginta interpretum versione vel cum Novo Testamento congruunt, sicut AP 6 (Apodixin), AS 13 (Asotus) (2) ; nonnullis autem in glossis vulgatae verba interpretationis loco stant, velut Stricto pugione : evaginato gladio (ST 20), unde lemmata versionis Italiae esse collegi. Eucherus cum vetere versione usus sit, eius verba hic illic perscripsi. neque pernegaverim id posse existimari aliquas glossas non ipsis Bibliis Sacris adscriptas sed ex opere aliquo Eucheri simili vel ex nominum aliquo indice qualis Hieronymi fertur tractas esse, velut HI 25 (Hir), LE 23 (Leviathan), OW 2 (Onesiphorus) ; sed veri similis mihi videtur ipsum Bibliorum Sacrorum glossatorem eos indices Hieronymi, Eucheri, aliorum adhibuisse, quoniam verba interpretationis aliquando conspirant cum Hieronymi vel Eucheri verbis, aliquando ab iis abhorrent.

Unde nisi ex Rufini Historia Ecclesiastica poterant provenire glossae AG 19 (Hagneuontes), BA 22 (Barcocabas), ST 42 (Stromateas), IN 400 (Infanticidii dapibus funestari) ? Atqui ultima nonnisi in codice *d* apparet, ceterae in fine capitulorum ; advenae igitur omnes, non aborigines.

Unde nisi ex Augustini Civitate Dei eae glossae (PI 17 ; SE 47 ; TI 7) quas ad AB 51 memoravi ? atque Augustinum quoque Isidori fontem fuisse monendum est, unde potest explicari quod cum Isidoro aliquae glossae etiam non Vergilianae necessitudine coniunctae videntur. ad eiusdem de Genesi ad litt. ipsa verba (*prudens, acutus*) quadrat (3) glossa CA 24 (Catus). Atqui non me fugit glossam SE 47 in fronte ferre advenae notam, nam in fine stat SE capituli extra litterarum ordinem.

Poteram sane alios scriptores memorare quorum inusitata verba hic illic in nostro glossario apparent. sed quis praestabit ea verba ex scholiis Vergilianis non revera provenisse ? itaque Lindsaio suadente malui de fontibus tam incertis hic tacere, mentionem eorum in apparatus criticum relegare. quin etiam cogitaveram de tractatiuncula De Affinitatibus a conditore glossari adhibita (cf. AB 15-6 ; LE 27), de grammatico opusculo unde trahi potuerint v. g. adiectiva illa cum nominum exemplis (cf. ad CA 76) vel pronominum

(1) Cf. *Euch. Inst.*, II, p. 149 W.

(2) Cf. SO, 38.

(3) Itidem ut quadrat ad Schol. Bern. Ecl. 7, 8 (*citius, velocius*) glossa OC 1 (Ocuis), ad Schol. Bern. Geo. 1, 69 (*obsint, noceant*) glossa OF 4 (Officiant).

casus (cf. ad CU 7-13). quis tamen nescit affinitatis gradus saepe a scholiastis Vergilianis memorari, necnon res grammaticas? quis nescit declinationem nominis aut pronominis, verbi coniugationem saepissime in glossariorum vel textu vel margine sive a conditoribus ipsis sive postea a correctoribus esse adpositas?

Illud tamen necesse habeo te monere, aliquando glossas e glossis natas esse. quarum complura sunt genera; aliquoties enim, ut in quibusdam videmus animalibus, parte glossae abscissa duae fiunt, ut in CI 19 (Circumscripsit), ubi vide quae adnotata sunt, vel in PRO 88 (Prodigium) quae glossa multa passa est cum primum duo lemmata faciant codices Vat. et Cas. (1), deinde membra disiecerint (2), caput autem alteri codices omnino amiserint; vel pars iteratur, ut KA 9 (Cudere) e CV 34; vel lemmate et interpretatione inter se mutatis nova fit glossa, ut OR 5 (Originis confidentia) e GE 7 (Generis fiducia); vel emendata glossa recipitur neque corrupta tollitur, ut IN 160, 232 (Inolevit, Insolevit); vel uni verbi tempori alterum subicitur, ut AB 9, 10 (Abit, Abiit), CO 49, 50 (Coit, Coiit), quamquam haec quidem forsitan ex ipso fonte manent. eiusmodi glossas non sui iuris esse signo = indicavi.

Hoc ipso glossario usi esse, quod minime mirum est, posteriores glossatores aliqui videntur; nam glossas Canonibus Ecclesiasticis adscriptas si cum nostris contendes hinc illarum nonnullas tractas esse, nisi fallor, existimabis (cf. ad CO 65); quod etiam de glossis Isonis qui vocatur ad Prudenti carmina adnotatis dici potest: sed nunc eis de rebus agendum non est. eodem usos esse Columbam et Aethicum Istrum scriptores iam antea docuit Lindsay (Class. Quart. 17, 198).

Restat ut Goetzio viro doctissimo gratias agamus quod apographi codicum Parisiensium inspiciendi nobis comiter potestatem fecit. Lindsay praeceptoris nostri eiusdem et iudicis amicissimi, quo non suadente hortante impellente hoc opus quantulumcumque est vix absolutum esset, non castigante maculas paene innumerabiles haberet, tot et tanta sunt erga nos merita ut omnem gratiarum actionem praecurrant.

H.-J. THOMSON.

Scribebam Bangori Cambrensiū
Mense Febuario 1925.

(1) C. G. L. 147, 6; 151, 19.

(2) *Ibid.*, 149, 36; 150, 22.



ABSTRUSA

AB

Abstrusa : abscondita. 2. Abdicat : a se alienat vel respuit. 3. Abactus : ab actu remotus, <ablatus, expulsus>. 4. Abstem<i>us : sobrius. 5. Abrogare legem : tollere. 6. Absistit : longe est, desinit. 7. Abaso (?) : infi[r]ma domus. 8. Absurdum : infirmum, inconveniens. 9-10. Abit : discedit, -iit : discessit. 11. Abs-tinet : observat. 12-13. Abutitur : recusat, contemnit vel aspernit, Abutimur : recusamus. 14. Abusitatus : minus instructus scientia. 15. Abnepos : filius nepotis, <Pronepos : nepos nepotis>. 16. Abavus : pater <pro>avi. 17. Abi-

geius : qui seducit servum aut pecus alienum. 18. Ab imo : deiosum. 19. Abominat : negat quod suum est. 20. Abolet : tollit vel delet. 21. Abnuit : denegat, recusat. 22. Ab re : contra rationem. 23. Abrogatur : aufertur. 24. Abiurat : reprobatur, abnegat. 25. Ab ineunte aetate : ab ipsis rudimentis infantiae. 26. Absolute : manifeste. 27. Abluit : mundat, lavat. (=EX 15 ?) 28. Abhorret : discrepat. 29. Abstrusum : inclusum vel occultum. 30. Abrumpit : incidit, rumpit. 31. Abducit : abstrahit, asportat. 32. Abreptus : raptus. 33. Abigit : minatur, expellit. 34. Abdidit : abscondit, textit. 35. Abeunt : redeunt, vadunt. 36. Abest :

AB 1. cf. 29. Aen. 6, 7. || 2. cf. A marg. aut Abol. (Abdicant : respuunt, repudiant). || 3. abl. exp. om. AB : quasi novam glossam exhibet Ansil. (qui glossam Abact. ab ac. rem. Origeni ascribit ; sed apud Originem latinum non inveni). Isid. Et. 10, 20 (Ab. quod sit ab actu remotus). || 2-3. una glossa (cf. Paul. Fest. 21, 11 Abacti magistratus dicebantur qui coacti deposuerant imperium) ? cf. MA 14. || 4. cf. 11 ; TE 13-15. Abste. abstinens (et Abste. sobrius) Corp. Isid. Et. 10, 11 (Abst. a temeto, id est vino, quasi abstinens a vino) ; Don. Andr. 229 (Temulenta vinulenta, hoc est ebriosa ; quia temetum vinum, unde abstemius sobrius). || 5. ? cf. 41 ; AD 75 (Adrogat) ; DE 15 (Derogat) ; IN 200 (Inrogat) ; SU 29. (Subrogat) ; PRO 83 (Prorogat). || 7. infima EE : infima (et infirma) Corp. : infirma cett. (quod ad illud infirmum in sequenti glossa fortasse est ascribendum) : infama Abav. an A base (Itala 3 Reg. 7, 9 ?) ? Hinc mire gloss. Aelfrici (W. W. 185, 21) Ab. infirmatorium, seocera manna hus. Etiam Abbo Bell. Paris. 3, 55 (ābāso quo fuerit, sit hirudo frequens comitata) ! Nugatur Stowasser (Arch. lat. Lex. 12, 579). || 11. cf. 4. cf. Itala Act. 21, 25 (observent se ; Vulg. abstineant se) ? cf. ad CE 1 (Caerimoniae) ? || 12. cf. 45. Itala Luc. 7, 30 (abusi sunt). Hinc nimirum A marg. (Abutitur : contemnit). || 14. instr. in sc. (et instr. sc.) Ansil. Utrum ea quae hic sequuntur in a (Abusus sapientia : minus intellegens) et alio loco in Asbest. (Abusus sapientia) revera glossae pars sint aegre dicas. Cf. PE 80 ? || 15. Abn. qui natus est de pronepote Corp. cf. PRO 63 (Pr. n. n.). Immo Abn. n. n., Pron. f. n. || 17. qui tollit s. Corp. cf. Schol. Aen. 8, 208 (Avertit erat proprium ' abegit '). cf. PL 4 et 12. || 18. Aen. 5, 810. || 19. Aen. 5, 531 (nec maximus omen abnuit (Aeneas). cf. 21. || 20. vel del. om. B. cf. A marg. aut Abol. (Aboletur : deletur). || 21. Aen. 5, 531 (cf. 19) ? cf. 38. cf. AD 33. || 22. cf. ER 12 (E re). || 23. cf. 41. || 24. aut negat A (cf. ad 54). || 27. cf. DI 36 ? cf. AD 39 ? || 29. cf. ad 1. || 32. asportatus add. A marg. cf. aut A marg. aut Abol. (Abreptus : raptu abductus, sublatus). || 33. Ital. menare, Fr. mener. cf. aut. A marg. aut Abol. (Abige : expelle). || 34. Aen. 2, 553. cf. aut A marg. aut Abol. (Abdit : abscondit). || 35. Aen. 3, 452. || 36. cf. AF 2 (Afuturus : ab-



absens est. 37. Abis : recedis. 38. Abnueram : non receperam. 39. Ab stirpe : ab origine vel a genere. 40. Absono : absurdo vel praepropero (-postero). 41. Abrogat : demit, aufert. 42. Abitione : discessione. 43. <H>abitus : habitus corporis vel custos (cul-) vestium. 44. Ablegatus : condemnatus. 45. Abusi : male usi. 46. Abusive : despecte. 47. Abstractae : abiectae (abac- ?) vel abductae. (Aen. 8, 263) 48. Abeuntibus : discedentibus. (Aen. 1, 196 ?) 49. A[b]spernatus : contemptus. 50. Abicit : proicit. 51. A<s>beston : Arcadiae lapis qui semel accensus non extinguitur. (Aug. Civ. 21,5) 52. [Abodos (?): dementes.] 53. <Abibat :> abire coeptabat, ire incipiebat. (Aen. 2, 382) 54. Abiuratae : furatae. (Aen. 8, 263) 55. Abietem : genus ligni. 56. Ab origine : a genere (=39 ?)

(Geo. 3, 48 ?) 57. Abolescit : de memoria excidit. (Aen. 7, 232, -et)

AC

Accola : alienus cultor aut novicius. (Aen. 7, 729 ?) 2. Acrocheria (-chir-) ligatura articularum. 3. Acras mentis : validae mentis. (Verg. ?) 4. Accipitrem : acceptorem. (Levit. 11, 16 ?) 5. Acedia : taedium animae. (Itala Sir. 29, 6 ?) 6. Acies : extensa militum in pugna. (Verg.) 7. Acerbum : in maturum vel malum. 8. Acrimonia : saevitia. 9. A culmine : ab alto. (Aen. 2, 603 ?) 10. Acuto murice : saxis asperis. (Aen. 5, 205) 11. Accolae : vicini cultores. 12. Acalanthis : cardellus [alibi carduelis], avis vepribus adsueta. (Geo. 3, 338) 13. Accentus : sonus, inflammatio vel vociferatio. (?)

sens erit). Etiam A marg. aut Abol. (Abesto : absens esto Afuit : absens fuit).|| 37. Aen. 2, 675.|| 38. Aen. 10, 8 cf. 21.|| 39. cf. 56. Aen. 1, 626.|| 40. vel prospero A : om. B.|| 41. cf. 23. cf. ad 5.|| 43. cu. om. AB. Ex Schol. Aen. 1, 315 (cf. Ter. Eun. 240) vel etiam 318 (cf. Don. ad, Eun. 315). cf. Paul. Fest. 90, 23 (habitus habitus corporum).|| 46. vix -ae -ae. cf., puta Schol. Aen. 1, 43 (rates abusive naves). Vel cf. AD 42 ; Ansil. (<Adumbratum > : abusive quod non est perfectum, Abusive : despecte, Ab. : fastidiose, contemptibiliter.|| 45-6. cf. aut A marg. aut Abol. (Abutitur : male utitur, abusive utitur).|| 47. eiectae (vel el-) AB : abi- A marg. cf. 17. Vide tamen ne duae glossae sint confusae, (1) Abol. (Abstractae : abactae vel abductae), (2) Abstr. (Abstractae : electae).|| 49. i. e. passive, non active, cf. Prisc. II 379, 6 antiqui tam activa quam passiva significatione protulisse inveniuntur.|| 51. ex Aug. (asbeston Arcadiae lapidem propterea sic vocari quod accensus semel non possit extingui) mutuatus est Isid. Et. 16, 4, 4 et 2. Illud abestos potest fuisse vulgaris forma, ut spopondi pro sponsondi, sempiternus pro semperternus, etc. Aliae huiusmodi glossae ex Aug. Civ. haustae sunt PI 17 (Pyrites), SE 47 (Selenites), TI 7 (Tylon).|| 52. om. B. C. Estne glossarii Abol. ? Apodos Goetz (cf. 40 ; 8) : Abulos Buecheler.|| 53. Vergilio ascribit Ansil.|| 54. Abiure AB. cf. 24. cf. aut A marg. aut Abol. (Abiurasse : intercepisse periurio. Abiurare : negare); Ansil. (Abiurare est rem creditam negare periurio), ex Schol. l. c.|| 55. A marg., B : om. A.

AC 1. aut vicinus B (cf. 11), fort. recte (cf. IN 19). cf. ER 9 ?|| 2. palaestrae genus.|| 3. Vergilio ascribit Ansil.|| 4. in versu Levit. (non edetis acc.) accipitrem Vulg., acceptorem Ital. || 5. vel Acidia. vel animi. cf. AN 9.|| 6. Vergilio ascribit Ansil.|| 7. aliter Arma (Atrox : malus, Acerbus : in maturus). vel dolore plenum add. Ansil. cf. aut A marg. aut Abol. (Acerbum : dolore plenum).|| 8. cf. 30.|| 11. cf. ad 1. cult. om. A marg. introitus interp. AB, unde colligo in archetypo fuisse Aditus : introitus (AD 54), Adeolae (vel Acc.) : vicini cultores. Sed potest Abolita glossarii esse Acc. vic. cul. si nostram glossam hab. Ansil. (Accolae : vicini, concives, adventicii).|| 12. -tus cardellus (om. cett.) AB. Italice ' cardello ' cf. Class. Phil. 13, 2 et 13.|| 13. infl., i. e. Accensus. vocif. : vocis concrepatio (var. lect.) Ansil.

14. Accitus : vocatus. 15. Accleta (athle-) : luctator. 16. Acatus : navicula vel arca. 17. Ac veluti : quasi, quemadmodum. (Aen. 1, 148, etc.) 18. Accingunt : adparant, muniunt, armant. (Aen. 1, 210 ?) 19. Accisis : consumptis, circumcisis. (Aen. 7, 125) 20. Actutum : cito. 21. Acervus : cumulus [et dicitur acervus (-bus) crudus]. 22. Acies : acumen oculorum vel gladii. 23. Acerra : arca turaria. 24. Acri : arguto vel cito. 25. Acer : vehemens, crudelis. 26. Acrior : fortior. (= 32 ?) 27. Achivis : Graecis. (Aen. 10, 89, etc.) 28. Aconitum : genus veneni, ἀπὸ ἀκόνιτος, quod in Ponto de spuma Cerberi inventum est. (Geo. 2, 152) 29. Acheron : fluvius apud inferos. (Geo. 2, 492, etc.) 30. Acrimoniosi : saevitiosi. (cf. 8) 31. Acrimoniosus : saevitiosus. (= 30) 32. Aciores : fortiores. [33. Acyologia : <in>propria.] 34.-5. Academia : villa ubi tractabat Plato. -micus : philosophus. (Aug. Civ. 6, 2 ?) 36. Acro- <a>mata : scenicorum carmina 37. Aculeo : ab acu deminutive. 38. Acumina : ingenia. 39. Acediatur : stomachatur.

(Bibl. ?) 40. Acanthus : genus floris quo vestes inficiuntur. (Geo. 2, 119, etc.) 41. Ac : autem. 42. Actutum : cito. (= 20) 43. Acciri : evocari. 44. Actos : exagitatos fatigatos. (Aen. 1, 240 ?)

AD

Adfatim : abunde, satis. 2. Adimit : tollit, negat. 3. Adipiscitur : consequitur impetrat. 4. Adficio : affligis [vel obiurgas]. 5. Adstruere : aedificare vel affirmare. (Verg. ?) 6. Adrogans : superbus. 7. Adio (-eo) : ingredior. 8. Adoritur : gignitur, nascitur. 9. Adeo : in tantum aut valde, maxime, satis. 10. Ad extollendum : ad laudandum. 11. Adlatum : adportatum vel adductum. 12. Adigebant : cogebant. 13. Adsolitur (-la- ?) : adlissum. (?) 14. Adsecula : domesticus. 15. -lae : pedisequi vel lenones. 16. Adtaminat : usurpat vel inquinat. (Itala Num. 6, 5 ?) 17. Adscivit : sociavit, coniunxit. 18. Adsectatores : imitatores. 19. Adit : intrat, interpellat. 20. Ad praestolandum : ad observandum vel sustinendum. 21.

